

LUITGARDÆ PROGENIES.

403

S. Blasio electa utique intelligendum est. At de cuius? duos enim antea nominaverat, fororis seu Luitgardæ filium Adalbertum I. eiusque avunculum Conradum Luitgardæ fratrem. Sed id de Adalberto I. accipi nequit; ipse enim in fundato a se Windbergenfi monasterio sepulturam nactus est, ut constat ex farragine historica apud Oefelium: *M CXLII. Albertus comes illustris de Pogen fundavit monasterium in Windberg ordinis Præmonstratensium, & sepultus est ibidem cum filiis suis, scilicet Hartwico & Perchtoldo*; Albertus enim alter eius filius apud nos requiescit, ut mox dicemus. Restat igitur, ut Conradum Luitgardæ fratrem prætergressis multis aliis locis hic sepulturam elegisse intelligamus, ceu in loco parthenoni Beroviensi, ubi erat soror eius Luitgarda, magis vicino. Quo ipso simul patet ratio, cur Albertus II. tantopere Blasianis sociari desideraverit.

SECVLUM
XII.

Script. Rer.
Boic. T. II.
pag. 502.

His iam ventilatis ad Adalbertum II. veniamus, cuius fata ita prosequitur anonymus: „A talibus igitur progenitoribus (Adalberto I. scilicet comite de Windenberg & de Bogen, eiusque matre Luitgarda) nobilissimus, adolescens Adelberchtus exortus, sicut de B. Gregorio legitur, lineam sui generis factis & dictis ipse extulit. Inerat quippe ei ab ipsa pueritia mirabilis, & honesta morum elegantia, adeo ut cum splendidissimo corporis decore, quem illi munificentia Omnipotentis contulit, in actis vel dictis cunctorum animis complaceret, & pro puræ mentis innocentia, miro affectu a cunctis diligeretur. Erat namque, sicut ex quorundam relatione cognovimus, corpore castus, *ita ut numquam umquam uxorem agnoverit*, verecundissimus facie, actu innocens, eloquio purus, verbis verax, moribus modestus, sinceritatem mentis vultus sui serenitate monstrabat, & pietatem clementissimi cordis ostendebat in lenitate sermonis. Rapinam tanta exercitatione (corrector posuit *execratione*) refutabat, ut quamvis ab ipsa indole sæpe in expeditione regis militaret, numquam permetteret servos suos aliquid rapere, vel raptum comedere. Semper studuit, quantum potuit, se custodire ab his vitiis, quibus illud hominum genus implicari solet. Nam mirum in modum a primis fere annis divinam potius fervitatem egregia illustris pueri spiravit infantia, coepitque concupiscere monachicam perfectionem, quam etiam sine dilatione arripuisset, si parentum ius non obstidisset.“

Pergit porro, ut ad rem veniamus: „Sed hæc dilatio parum eos lætificavit; nam priusquam annus, quo arma suscepit, volveretur, quum iterum in expeditione Conradi regis cum Lupoldo duce Bavariæ maneret, prohodolor, sagitta percussus graviter vulneratus est. Mox cucurrit tota lu-

E e e 2

»gu-